

tum mortis, & in Dei contemptoribus & sceleratis metus est prorsus terribilis. Non sanatur anxia conscientia, si dixeris, nullus est post mortem status futurus. Deus enim, qui homines rationales creavit, & ad leges obligavit, eosdem resuscitabit, iisque praemia vel poenas distribuet. Ipsi infideles, conscientiae morsus sentiunt, licet sibi velint persuadere, nullum esse boni & mali discrimen, nullasque post mortem poenas & praemia. Hae opiniones non efficiunt, ut conscientia conticescat. Recordatur enim semper facinorum suorum cum maximo terrore, & nullum superest effugiendi medium, quam eiusmodi meditationes & discursus abrumpere & euitare, quod experientia testatur. Sic conscientiae ictus mysterium supremi iudicis indicant. Infideles mirabiles sunt opinatores; hodie dicunt homines vivere in statu naturae, h. e. esse bestias, quae noctu dormiunt, & mane ad rapinam exeunt. Sequenti die infideles laudant suas bestias, quod ratione sint praeditae, in societate vivant & perpolitae sint. Tales contradictiones in ore infidelium & spirituum fortium sunt frequentes. Infideles plerumque sunt homines leuioris animi, quorum affectus fortes & imaginatio viua superat iudicium.

Plura sunt media, quae impugnandae infidelitati inseruiunt, quae vero hac occasione proferre non licet. Hoc firmum & certum est, puram & veram religionem non solum infidelium conatus reprimere, sed etiam regimina publica protegere & adiuuare, in Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. Imperator dicit: *gaudere & gloriari ex fide semper volumus, scientes, magis religionibus, quam officiis, & labore corporis, vel sudore nostram rempublicam contineri.* Rerumpublicarum gubernatione